

- 186 Probatur primo ex stylo Curie.
- 187 Probatur ratione.
- 188 Probatur ex declarationibus Cardinalium.
- 189 Probatur ex præjudicio tertii, quod inducit contraria sententia.
- 190 Quando agitur de valore Sacramenti, non licet sequi sententiam minus probabilem, qualis est contraria nostra.
- 191 Si copula est occulta, non est necesse eam exprimere in supplicatione.
- 192 Ne quidem in Penitentiaria.
- 193 Publica verò debet exprimi, etsi habita sit post litteras Apostolicas jam obrentas, sed nondum executioni mandatas: scilicet si sit post executionem.
- 194 Non est necesse exprimere copulam esse sæpius habitam.
- 195 Si petitur Dispensatio super impedimento Affinitatis, debent exprimi omnia, quæ pro Dispensatione consanguinitatis sunt exprimenda.
- 196 Item an Affinitas orta sit ex copula licita vel illicita?
- 197 An etiam, & quando debeat concurrere honestas publica exprimi?
- 198 Debet etiam exprimi, an sit in linea recta, vel transversali.
- 199 Si Dispensatio principaliter petitur super impedimento publicæ Honestatis, debet exprimi, an ex Matrimonio, vel Sponsalibus proveniat?
- 200 In petitione super spiritualibus cognationis Dispensatione debet exprimi, an sit filiatio, vel comaternitas.
- 201 Item an simplex, vel duplex sit Cognatio spiritualis? quando sit duplex?
- 202 Super impedimento criminis exprimi debet, an cum, vel sine machinatione in mortem existat.
- 203 Compendiosa repetitio eorum, quæ necessariò exprimi debent.

147 **E**xaminatà potestate dispensandi, visisque causis ad dispensandum requisitis, merito progreditur nunc magis ad praxin & modum procurandi Dispensationem, indagando imprimis, quænam necessariò exprimi debeant in supplicatione, ne Dispensatio sub-vel obreptitia, aut aliàs defectuosa censetur.

148 **S**upponitur autem ex Lib. I. Tit. III. de Rescriptis §. 7. & 8. quid sit subreptio, & obreptio, ac quando universim committantur in impetrandis Rescriptis, præsertim Apostolicis v. g. Dispensatione: Ubi in specie dictum, & ex Jure probatum habetur, eam dupliciter fieri, videlicet, vel exprimendo in supplicatione falsum, vel omittendo verum, quod de Jure vel stylo Curie exprimendum est. De posteriori seu de expressione falsi agemus §. sequenti; de priori verò, seu de expressione veri in præsentia. Itaque

149 **Q**uæritur I. In genere, quænam observari, & necessariò exprimi debeant in supplicatione pro impetranda quacunq; dispensatione Matrimoniali, ne sub-vel obreptitia censetur, aut omninò denegetur, vel defectuosa reputetur, sive apud Pontificem, sive apud Episcopum, vel Nuncium, sive in foro interno, sive externo fiat instantia? Resp. I. super quocunq; impedimento petitur Dispensatio, omnia ea, quæ de Jure, vel de stylo Curie sunt exprimenda, necessariò exprimi debent; adeò, ut si aliquid eorum etiam ignoranter ommitteretur. Dispensatio sub-vel obreptitia, consequenter invalida foret, etsi illo expresso Papa dispensasset. Sanchez Lib. 8. Disp. 21. à num. 13. Justis

de Dispens. lib. 1. cap. 4. num. 4. & 18. cum communi aliorum contra nonnullos, volentes, valere Dispensationem, etsi omittantur aliqua de Jure, vel stylo Curie exprimenda, si illis expressis Papa nihilominus dispensasset. Conclusio autem nostra patet ex dictis Lib. I. Tit. III. de Rescript. §. 7. à num. 156. usque ad num. 167. includivè, ubi etiam invenies, quòd omisso eorum, quæ de Jure, vel stylo exprimenda non sunt, Rescriptum, Dispensationem v. g. minimè vitient, si illis expressis Papa nihilominus, etsi difficultùs dispensasset: quòd, dum cum communi aliorum etiam docet Justis loc. cit. à nu. 10. bene addit, num. 12. quòd, si omnia ea, quæ quidem de Jure, vel stylo necessariò non sunt exprimenda, Dispensationem tamen difficultiorem reddunt, exprimi deberent, vix ulla Dispensatio esset tuta.

Resp. II. De Jure, & stylo Curie sunt aliqua, quæ semper observari, & exprimi debent, super quocunq; tandem impedimento petitur Dispensatio. Patet inductione. Nam I. necesse est, ut impedimentum, super quo petitur Dispensatio, ritè ac in sua specie proponatur; nam si unum pro alio v. g. Affinitas pro Consanguinitate, vel econtra exprimitur, Dispensatio juxta communem nulla est. Ratio clara est, quia licet potestas dispensandi favorabilis sit, & consequenter latè interpretanda juxta n. 145. tamen ipsa dispensatio utpote à Jure exorbitans, & vulnus Juris faciens stricte interpretari, & consequenter ultra expressa extendi, & intelligi non debet. Sanchez lib. 8. Disp. 1. num. 3. Justis de Dispensat. lib. 1. cap. 2. n. 2. Pirh. Corrad. in prax. Dispensat. lib. 1. cap. 5. Pontius de Matrim. lib. 8. cap. 21. num. 2. cum communi, arg. c. 1. de Filiis Presbyt. in 6. cum Concord. Neque valerit, etsi impedimentum expressum majus esset illo, quòd exprimi debuisset. v. g. si exprimeretur Consanguinitas locò Affinitatis. Ratio est; quòd, licet aliàs valeat argumentum à majori ad minus arg. c. Cui licet. de R. I. in 6. & L. Jurisgentium. §. Adeò ff. de Pacl. tamen hoc non procedit in Dispensatione, Corrad. loc. cit. n. 3. cum communi Joan. Andreas in c. Ea que de R. I. in 6. arg. c. fin. de Translat. Episc. & c. Cui de non sacerdotali. de Preb. in 6.

Cæterum quomodo quodvis impedimentum in praxi ritè proponi debet, dicitur §. seq. à numer. 267.

II. Si Oratores plura impedimenta habent, v. g. si habere volentes sunt simul consanguinei & affines vel duplici vinculo Consanguinitatis conjuncti aut laborent simul impedimento criminis, & publicæ honestatis, vel Cognationis spiritualis, & debent omnia fideliter exprimi. Justis de Dispensat. lib. 1. cap. 4. à numer. 96. Sanchez lib. 8. Disp. 14. num. 1. illoque teste omnes. Ratio patet ex dictis; quia Dispensatio utpote à Jure exorbitans ultra expressa non extenditur per Jura num. præced. citata; consequenter, si aliquid impedimentum omittitur, Dispensatione non tollitur, sed adhuc manet, & obstat; Nam Papa non censetur velle nare defectum, quem ignorat. arg. c. si eo tempore de Rescript. in 6.

III. Requiritur, ut omnia impedimenta, adeò obstant, in una, eademque supplicatione fideliter exprimantur. Sanchez lib. 8. Disp. 23. num. 2. affinis loc. cit. num. 87. Pontius de Matrim. cap. 19. §. n. 25. Bosco de Matrim. Disp. 12. sect. 13. c. 11. & alii communiter contra Navarr. Consanguinit. & Affinit. consil. 1. & 4. & nonnullos alios sententes sufficere, si successive in pluribus supplicationibus proponantur. Ratio autem nostræ doctrinæ est; quia Papa concedens dispensationem secundum aliam conditionem, censetur semper dispensare sub

ditione, si aliud non obstat. arg. c. 1. de etat. & qual. ordinar. in 6. Atqui in proposito obstat aliud impedimentum, de quo nulla facta est mentio: ergo. Confirmatur ex stylo curie, ut post alios testatur Justis loc. cit. nu. 89. stylus enim curie facit Jus, & stat pro lege, præsertim in Dispensatione Matrimoniali juxta dicta num. 149.

153 **S**ed quæris, quid Juris? si contingat unum impedimentum esse publicum, & alterum occultum v. g. Affinitatem ex fornicatione, & consanguinitatem in publicam. Respondetur, tunc debere publicum impedimentum proponi in Dataria, vel Cancellaria ad impetrandam Dispensationem pro foro externo, utrumque autem tam publicum videlicet, quam occultum in Penitentiaria pro foro interno, non quòd hæc etiam super impedimento publico dispenset, sed quia, si duplex obstat impedimentum, difficultùs dispenset Penitentiaria etiam super solo occulto. Sanchez lib. 8. Disp. 23. nu. 7. pro hoc allegans Declarationem Cardinalium. Justis de Dispensat. lib. 1. cap. 4. à num. 103. Ubi testatur etiam de præxi & stylo curie Ponti. & alii communiter. Nec refert, sive prius in Penitentiaria pro foro interno, sive in Dataria pro foro externo petitur Dispensatio. DD. citati, quòd idem declaravit S. Congregatio.

154 **P**ræter hæc necessariò vult Menoch. de Arbit. casu 203. num. 6. etiam exprimendum esse in quavis supplicatione, si Dispensatio super eodem impedimento jam semel petita, sed denegata fuit. Verùm id necessariò esse rectius negat Sanchez lib. 8. Disp. 22. n. 14. Pontius lib. 8. cap. 17. nu. 3. Diana, Suarez, & alii. Ratio est; quia nec Jure, nec stylo curie requiritur. Naque valet ratio à Menoch. in contrarium allegata, videlicet, quasi Dispensatio secundò petita semper denegetur, si mentio sit, eam jam semel denegatam fuisse. Nam contra est, quòd faciliè contingere possit, ut in secunda petitione graviore cause, & rationes: quam in priori, vel alio, & efficaciori modo proponantur, indeque Papam moveant ad dispensandum super impedimento, super quo prius non dispensavit.

155 **I**V. Si copula allegatur pro causa dispensandi super aliquo impedimento, debet exprimi, an sub spe facilis obtinendi Dispensationem fuerit habitata, vel non. Justis de Dispensat. lib. 1. cap. 4. nu. 266. Sanchez lib. 8. Disp. 25. nu. 38. Gutierrez lib. 1. canon. 99. cap. 15. nu. 20. Gobah in Theolog. experimenti. tract. 9. nu. 626. eoque teste omnes. Ratio est; quia est notorius stylus curie. Et merito, ne quis ex fraude, & dolo faciliè reportet commodum contra c. si vir. de Cognat. spirit. & c. 1. de eo, qui duxit, cum Concord.

156 **E**t licet plures, ut Gobah loc. cit. Portel in Respon. cas. moral. p. 2. casu, Diana & alii velint, non esse exprimendam hanc spem, si fuit tantum ex parte unius, vel si quidem ex parte utriusque, tamen unus alteri non manifestavit; tamen in praxi contrarium est tenendum, ut bene advertit Corrad. lib. 8. cap. 1. nu. 18. allegans inveteratum stylum curie, & simulque addens, præfatos & alios Doctores contrarium asserentes toto celo aberrare.

157 **V**. Si Dispensatio petitur post Matrimonium actu jam, sed invalide contractum, debet fideliter exprimi primo, an illud bona vel mala fide contracterint, scientes verari inter illos impedimentum. Communis & certa. Idque ob rationes & Jura in finium allegata supra nu. 57. & seq. ubi etiam nu. 58. explicatum habetur, quandonam contrahentes dici possint, mala fide contraxisse.

158 **E**t quavis ad hoc. ut Episcopus pro foro conscientie dispensare valeat, bona fides unius suffi-

ciat ob jura, & rationes, atque DD. nu. 59. allegatos; nihilominus quando dispensatio petitur in Curia Romana, securus est, & pro praxi omninò consultatur, ut si saltem una pars fuit conficia impedimenti, casus fideliter proponatur, prout se habet à parte rei, sive dein pro foro externo, sive interno petitur Dispensatio, ed quòd plures DD. etiam prædici, ut Justis lib. 3. cap. 16. n. 15. Navarr. Consil. de Consang. Genuent in Praxi Cur. Archiep. cap. 20. nu. 7. Corrad. lib. 1. cap. 8. nu. 9. allegans notorium stylum, velint necessariò esse exprimendum, si una pars conficia fuit impedimenti, & consequenter mala fide contraxit. Imò consultatur etiam pro praxi, ut si una pars saltem conficia fuit impedimenti occulti, non apud Episcopum, sed Penitentiariam petitur pro foro conscientie Dispensatio, allegando ibidem fideliter casum. Ratio est; quia, quando agitur de valore Sacramenti, securior via suadenda est.

Uterius requiritur, ut exprimat, si Matrimonium fuit contractum sub spe facilis impetrandi Dispensationem. Sanchez lib. 8. Disp. 25. nu. 22. Gutierrez lib. 2. can. 99. cap. 15. num. penult. cum communi aliorum ob notorium stylum curie, ac rationes & Jura infra in simili allegata num. 55. & 56. de copula habita sub spe facilis consequendi Dispensationem. Ubi etiam applica dicta ibidem in casu, quo una tantum pars sub spe facilis consequendi Dispensationem contraxit Matrimonium.

Insuper requiritur, ut exprimat, si Matrimonium mala fide contractum etiam consummaverunt. Omnes ob textum Concilii num. 57. allegatum, juxta Clement. 2us, qui de Consang. & Affinit. ad specialem consilium. Clement. 7. apud Corrad. lib. 8. cap. 4. num. 4. Idque intelligit, ut una tantum pars fuerit conficia impedimenti, per dicta num. 56. & 58.

Quòd, si ambo cum ignorantia impedimenti, adeò consequenter bona fide contraxerunt quidem, sed clandestinè, vel sine præmissis Denuntiacionibus, hoc quoque necessariò exprimendum erit. Omnes. Cum & istos Dispensationis gratia carere velit Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 7. cujus textum vide supra num. 60. quo tamen Concilium, vel Pontifex nec vult, nec potest ligare manus Pontificum Successorum, quin possint, si velint, ac etiam soleant (casu fideliter expresso & existente legitima causa) etsi difficultùs dispensare; ut bene advertit Corrad. lib. 8. cap. 3. nu. 6. cum Papa sit supra Concilium, & par in parem non habeat imperium, c. Innotuit. de Alit. cum Concord.

Cæterum quæ hæcenus de necessariò exprimendis dicta sunt, casu quo petitur Dispensatio post jam contractum Matrimonium, intelligi debent non tantum de contrahentibus consanguineis, vel affinis, sed etiam quocunq; alio impedimento dirimente ligatis, ut egregiè ex Jure demonstrat, & solutis argumentis contrariis efficaciter confirmat per specialem constitutionem Clementis V. Pirthing. Corrad. in Praxi Dispensat. lib. 8. cap. 3. à num. 1.

Quæritur II. Quænam necessariò exprimi debeant, quando petitur Dispensatio super impedimento Consanguinitatis? Resp. I. debet fideliter exprimi gradus, quo conjuncti sunt oratores, an videlicet in linea recta, vel transversali, in secundo, vel tertio, vel quarto &c. Sanchez lib. 8. Disp. 24. nu. 2. eoque teste Omnes. Ratio est, quia difficultior est Dispensatio in propinquiori, quam remotiori gradu. Accedit stylus curie ad præsens pro lege observandus. Hinc subreptitia & invalida



Centetur Dispensatio, si gradu non expresso, tantum in genere dicerent oratores, illos esse consanguineos.

164 Illud tamen hic notandum, quod si oratores expriment gradum propinquorem loco remotioris, dicentes v. g. se esse in tertio, cum sint in quarto, Dispensatio non vitietur. Justis lib. 1. cap. 4. num. 121. & magis dicitur infra nu. 215.

165 II. Debet exprimi, si duplici consanguinitatis vinculo sunt conjuncti, & multo magis si plura diversae rationis habent impedimenta. Et quidem in eadem supplicatione juxta dicta a num. 151. & 152.

166 III. Si consanguinei inaequaliter distant a communi stipite v. g. unus in secundo, alter in tertio, vel unus in secundo vel tertio, & alter in quarto, consequenter ambo sint in secundo & tertio mixto, vel in secundo, vel tertio & quarto, debet non tantum exprimi gradus remotior, sed etiam propinquior dicendo quod sint v. g. in secundo & tertio; idque non idem, quasi super propinquiori necessaria etiam foret Dispensatio, sed ut per speciale Breve declaratur, proximiorum gradum non obstat. Ita namque expressè statuit Pius V. in Constit. que incipit Sanctissimus. edita 26. Augusti 1566. sequentis tenoris.

167 Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster D. Pius divina providentia Papa V. attendens per quamdam constitutionem dudum per se record. Pium Papam IV. Sanctitatis suae Praedecessorem editam, qua cavetur, quod in dispensationibus matrimonialibus pro diversis consanguinitatis, seu affinitatis ex eadem stipite provenientibus gradibus conjunctis, non remotioris solum, prout olim fieri solebat, sed etiam propinquioris gradum expressamentum fieri debeat, aliquando dispensationes, ac desuper confectae litterae nullus sint roboris, vel momenti, prout in dicta Constitutione plenius continetur, a dispositione Juris communis, & laudabili ac antiquo Romano curiae stylo nimium recessit, ac favorem matrimonii deditum rebrengis, volensque propterea Juri, & stylo praedictis, nec non pia mem. Gregorii X. & Clementis VI. Romanorum Pontificum, etiam Sanctitatis suae Praedecessorum vestigiis inherendo, Sacramento, & libertati matrimonii, quantum cum Deo potest, servare, servare, & ordinare, quod de cetero in quibuscumque dispensationibus, quas pro matrimoniis contractis, aut contrahendis inter viros & mulieres invicem diversis prohibitis consanguinitatis, sive affinitatis, aut mixti ex communi, seu ab eodem stipite surgentibus, quicumque illi sint, dummodo primum quoque modo non attingant, cum in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat, gradibus conjunctos ab eadem Sanctitate sua, & pro tempore Romano Pontifice, aut Sede Apostolica impetrari, vel aliis concedi contigerit, ac litteris, commissis, & desuper etiam locorum Ordinariis faciendis gradus remotior attendatur, trabaturque secum propinquiorum, ac ob id sufficiat remotiorum tantum gradum exprimere, & obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratoriis juxta Gregorii, & Clementis Praedec. hujusmodi Constitutiones, quas quo ad hoc innovavit, & inviolabiliter observari mandavit, dispensationesque, seu dispensandi commissiones, ac desuper confectas litteras, & processus habitus per easdem, dispensatis, seu his cum quibus dispensari mandatur, propter proximioris gradus hujusmodi non expressionem, de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus, & per omnia suffragari perinde ac si in litteris, seu commissis hujusmodi de proximior, seu utroque gradu specialis, & expressa mentio facta fuisset. Itaque per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis quavis

alteri iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari & definiti debere, ac quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane esse, constitutione Pii Praedecessoris hujusmodi, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Ex hac constitutione inferitur I. Episcopum, vel alium deputatum Executorem licet non posse exequi Dispensationis litteras, si deprehendit, oratores non expresso gradu propinquiori eas obtinuisse, nec habere litteras declaratorias. Corrad. in Praxi Dispensat. lib. 7. cap. 7. n. 59. Sanchez lib. 8. Disp. 24. Bonacina Tom. 2. Disp. 1. de leg. q. 2. punct. 5. n. 77. Henric. de Matrim. lib. 2. cap. 3. n. 6. Filiucius & alii. Imo Corrad. loc. cit. docet Executorem mortaliter peccare, si in tali casu pro foro externo exequeretur Dispensationis Breve. Ratio est; quia in materia gravi transgredetur legem Pontificiam, quod graviter peccaminosum esse constat ex Lib. 1. Tit. II. de Constit.

Inferitur II. Oratores, qui absque gradibus proximioris expressione obtinuerunt Dispensationem, pro litteris declaratoriis non sollicitare, Episcopum vero, donec illis veniant, interea ab Executione abstinere debere, quae tamen litterae declaratoriae necessariae non sunt, imò non dantur, si cum alio inaequali gradu primus concurrerit ut oratores sint in primo, & secundo v. g. vel tertio gradu. Justis lib. 1. cap. 4. n. 127. Ratio est; quia in tali casu super utroque gradu fit Dispensatio, debetque uterque gradus necessariò exprimi, non ut fiat declaratio, proximiorum non obstat, sed quia super utroque necessaria est Dispensatio. Corrad. lib. 7. cap. 7. n. 71. Et haec satis sunt certa.

At verò maxima controversia est inter DD. An 170 non tantum illicita, sed etiam invalida sit Dispensatio ab Executore Brevis Apostolici facta, consequenter Matrimonium nullum, si conjuncti in gradibus inaequalibus v. g. secundo, & tertio, vel tertio & quarto litteras Dispensationis Romae impetrant super gradu remotiori, non facta mentione gradus proximioris, nec habitis litteris declaratoriis gradum propinquiorum non obstat. Sanchez siquidem lib. 8. de Matrim. cap. 24. a nu. 29. absolute docet, Dispensationem hujusmodi propterea non irritari, nec invalidam esse, adeoque Executorem, Episcopum v. g. valide exequi Breve, & valideque dispensare, licet ante executionem & contractum Matrimonium optime fiat, oratores in gradibus inaequalibus distare, & gradum propinquiorum non expressisse, nec litteras declaratorias habere; Idem docet Pontius de Matrim. lib. 8. cap. 17. §. 5. n. 26. & 27. Tambur. de Sacram. lib. 8. cap. 9. §. 7. n. 3. Gobath in Theolog. experiment. Tract. 9. n. 62. 1. Perez de Matrim. Disp. 46. sect. 5. n. 7. Engel J. V. T. XIX. §. 3. n. 10. Ratio eorum, & fundamentum praecipuum est; Tum quia gradus remotior imbibit, & trahit ad se propinquiorum, arg. a. fin. de consang. Tum quia constitutio Pii IV. V. cuius contra Jus commune requirebatur ad valorem Dispensationis expressio etiam propinquioris gradus, fuit revocata à Pio V. & reducta ad Jus commune per constitutionem nu. 167. allegatam, ubi expressè declaratur, Breve Dispensationis non esse sub-vel obreptionium, etsi omnia mentione gradus proximioris obtineatur; dummodo postea obtineantur litterae declaratoriae proximiorum non obstat, uti clarè patet ex tenore Bullae cit. nu. 167. allegatae. Neque dictas declaratorias litteras esse necessarias apud, ad valde dispensandum, sed ad vitandum scandalum, cuius si nullum est periculum, neque ad licetè dispensandum requiruntur. Ita DD. citati; nam autem bene, & satis securè pate-

patebit infra, ubi nostram de hac controversia aperiemus mentem.

171 Interea ut clarè procedamus, tanquam certum supponimus, & praemittimus ad valorem Dispensationis necessariò requiri expressionem propinquioris, si cum remotiori concurrat primus gradus, ita ut duo conjuncti sint in primo & secundo, vel primo & tertio v. g. Sanchez loc. cit. n. 32. & alii Doctores citati cum communi. Ratio est, quia circa hoc non fuit revocata constitutio Pii IV. ad valorem Dispensationis requirens expressionem propinquioris gradus, sed potius confirmata per constitutionem Pii V. supra nu. 167. allegatam, uti clarè patet ex tenore ejusdem, nam postquam constitutionem Antecessoris correxit, expressè addidit, dummodo primum (intellige gradum) nullo modo attingat, cum in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat, (intellige, nisi exprimat.) Unde nec dantur litterae declaratoriae, illum non obstat, sed necessaria est vera Dispensatio pro eo juxta dicta n. 169. Hoc notato, ac praemisso,

172 Respondemus ad Controversiam supra nu. 170. propositam dicendo, quamvis omissio gradus propinquioris non vitiet, nec subreptionis reddat litteras Dispensationis à Curia Romana obtentas (nisi sit primus juxta dicta num. praeced.) tamen illas nec licetè, nec valide exequi potest deputatus Executor, nisi prius obtineatur, & eidem exhibeantur litterae declaratoriae, propinquiorum gradum non obstat, ut proin Ordinarius, vel alius, cui committitur dictarum litterarum Dispensationiarum executio, non tantum graviter peccet, sed etiam invalide agat, & nulliter dispense: consequenter Matrimonium invalidum fit, si non habitis prius praefatis litteris declaratoriis dispense, casu quo ante contractum Matrimonium scit, oratores in gradu inaequali esse conjunctos. Ita expressè docet summè practicus in Curia Corrad. in Praxi Dispensat. lib. 7. cap. 7. a nu. 71. Justis de Dispensat. lib. 2. cap. 3. a nu. 40. ambo testantes de stylo Curiae addit Corrad. loc. cit. n. 72. ita fieri omnes practicos curiales, sique plures observasse, Matrimonium fuisse declarata nulla, quae contracta tueri vi Dispensationis sine mentione litteris factae. Bonacina & alii, quibus etiam adhaerere videtur Barb. lib. 1. vitor. Decisio. vto 3. n. 16. Probatur responsio imprimis ex ipsa Constitutione Pii V. ubi postquam declaravit sufficere ad valorem Dispensationis, si exprimat gradus remotior, illico addit: obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratoriis &c. quae verba, quia in ablativo absolute posita sunt, videntur modum, & conditionem importare arg. l. si debitor §. 1. ff. quibus modis Pign. vel Hypoth. modus autem & conditio necessariò sunt implenda arg. l. qui hered. & l. Marcius. ff. de Condit. & demonstr. ergo &c.

Nec dicas cum Sanchez lib. 8. Disp. 24. nu. 29. illa verba obtentis tamen postea &c. jam supponere perfectum actum Dispensationis factae, consequenter non importare conditionem. Negatur enim, quod jam supponant actum totaliter perfectum: quamvis enim jam supponant gratiam à Papa factam, seu validas Dispensationis litteras, seu mandatum de dispensando commissum alicui delegato, tamen non supponunt ipsam Dispensationem, consequenter nec actum, vel gratiam omnino perfectam, eò quod (uti ex copia litterarum Apostolicarum, & praxi patet) Papa vi illarum ipsemet non dispense, sed tantum alicui delegato mandatum, & potestatem tribuat, ut auctoritate Papae dispense, uti videre est in Copia infra, servatis utique servandis, etiam constitutione Pii V. quatenus nempe postquam petita fuit Dispensatio super remotiore postea etiam in eadem supplicatione petantur

tur litterae declaratoriae, ut habet syllabus curiae juxta dicenda infra, vel si in eadem supplicatione petita non sint, saltem postea, & antequam fiat ab Executore Dispensatio, petantur, & exhibeantur. Corrad. loc. cit. n. 72. ubi memorata verba conditionem importare probat etiam ex adjecta dictione, tamen, ubi obtentis tamen; nam dicitio tamen de sua natura conditionem & modum importat. Barb. de Dictionibus. Dictione Tamen. n. 3.

Probatur & quidem principaliter & efficaciter secundo ex Brevis Urbani VIII. emanato 1. Novembris 1624. in quo expressè declarat, Officialem Tolletanum (cui executionem Brevis, & potestatem Auctoritate Papae more solito commiserat) invalidè dispensasse, & Personas Consanguineas, quae vi talis Dispensationis Matrimonium contraxerunt, invalidè contraxisse, ac meros incestus commisisse, ex hoc solo, quod Officialis praefatus dispensaverit cum illis, de quibus ante contractum Matrimonium sciverat, illas esse in secundo & tertio gradu consanguinitatis conjunctas, & tamen nulla facta mentione propinquioris gradus solum remotiorum expressisse dicendo praedictis, se esse in tertio gradu conjunctas, nec habere litteras declaratorias secundum non obstat ubi magis videtur esse copia, quae hic subiungitur.

Urbanus Episcopus, servus servorum Dei, Dilecto filio nostro, & Sedis Apostolicae Nuncio Matrioni commoranti salutem, & Apostolicam benedictionem. Aliis pro parte dilecti Filii A. Loici, & dilecti in Christo filii C. mulieris Teletanae Divae filii nobis exposuit, ipsos, qui de verè nobili genere procreati existunt, ex certis rationabilibus causis animos eorum moventibus cupere invicem matrimonialiter copulari. Sed quia tertis consanguinitatis gradu invicem erant conjuncti, desiderium eorum illa in parte adimplere non posse absque Sedis Apostolicae dispensatione. Quare pro parte eorum A. & C. nobis humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis de opportuna dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos hujusmodi supplicationibus tunc inclinati, dilecto filio Officiali Tolletano per alias nostras litteras dedimus in mandatis, quatenus si preces veritate nisi reperiret, cum eisdem A. & C. quod impedimento tertis consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante matrimonio inter se publice servatà formà Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, & in eo posmodum permanere liberè & licetè valere, auctoritate nostra dispensaret, prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando, prout in dictis litteris continetur. Cum autem, sicut exhibitio nobis nuper pro parte dictorum A. & C. petitio consinebat, litteris praefatis dilecto Officiali praesentatis, idem Officialis contenta in eis verificari mandaverit, & quamvis in verificatione ipsa ei constaret ipsos A. & C. secundo, & tertio à communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos, nihilominus cum dictis A. & C. super impedimentis hujusmodi, licet nulliter, & de facto dispensavit. Cujus quidem dispensationis praetextu ipsi A. & C. matrimonium inter se per verba de praesenti publice servatà formà Concilii praedicti, nulloque detestato, neque denunciato impedimento contraxerunt, illudque in facie Ecclesiae solemnizarent, & carnali copula consummarent, proindeque, idem A. & C. cum in hujusmodi Matrimonio remanere non possint absque Sedis Apostolicae dispensatione, & si divorcium inter eos fieret, gratia exinde scandala possent verosimiliter exoriri. Quare pro parte eorumdem A. & C. nobis demò fuit humiliter supplicatum, quatenus eis, ne dictarum litterarum frustrarentur effectu, in praemissis opportuna providere de simili benignitate dignaremur. Nos igitur eisdem



A. & C. ac eorum quemlibet amplioris gratia favore prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium duntaxat consequendum, harum serie absolutio, posterius supplicationibus hujusmodi etiam inclinari, fraternitati tuae per Apostolica Scripta mandamus, quatenus negotium hujusmodi reasumens, literasque prefatas valere decernens, monito predicto Officiali, ut à similibus impostum omnino abstineat, ac imposita dictis A. & C. propter incestum hujusmodi arbitrio tuo penitentia salvari, & quatenus intra ipsos causa super praemissis in iudicium quoquo modo deducatur, pariter iudicato, eosdem A. & C. si hoc à te humiliter petierint, ab excommunicationis sententiis, quam propter praemissa incurverunt, incestus reatu, & excessibus hujusmodi in utroque foro dicta auctoritate absolvat in forma Ecclesiae consuetae, ac cum eisdem A. & C. quod impedimento tertii consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, matrimonium inter se de novo publice servatà formà ejusdem Concilii contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, & in eo postmodum remanere liberè, & licitè valeant, eadem auctoritate dispenses. Distantiam verò secundi gradus praedicti eis non obstante declares, prolemque susceptam, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernas, ac in earundem litterarum executione servatà aliis earum formà, de novo procedas in omnibus, & per omnia, perinde ac si in illis A. & C. non tertio, sed secundo & tertio à communi stipite provenientibus conjunctis gradibus minimè esse conjunctos expressum, ac cum eisdem desuper dispensari, & declarari mandatum, praemissaque sequuta minimè fuissent. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in dictis litteris quibuscunque. Datum Tusculi anno Incarnationis Dominicae 1624. nono Kalend. Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

174 Hoc Breve Apostolicum mirè fatigat nostrae sententiae Adversarios n. 170. postis, inter quos Gobath loc. cit. à n. 620. omnes vires intendit, ut illud infirmare, & in contrarium probare valeat, illo non obstante validam esse Dispensationem super gradu remotiori, nulla facta mentione gradus propinquioris, nec habitis litteris declaratoris illum non obstante; sed planè frustraneo conatu. Videamus illius & cum illo sententiam fundamenta.

175 Primò dicit, Urbanum in praefata Bulla non affirmativè, vel decisivè, sed tantum relativè loqui. Hoc fundamentum non indiget refutatione, quia illud non subsistere cuivis vel obiter legenti textum luce meridiana clarior patet; quamvis enim ibidem relativè narraverit Pontifex, quid fecerit Officialis Toletanus, tamen postea expressè declarat, illum nulliter dispensasse, & nuptias inde secutas incestuosas consequenter invalidas fuisse.

176 Secundo dicit, non esse credibile, quòd Urbanus VIII. secundo statim sui Pontificatus anno abrogavit Pii V. & aliorum Antecessorum constitutiones juri communi conformes. Resp. Urbanum VIII. non abrogasse Pii V. & aliorum constitutiones, sed eis conformiter egisse; Nam etiam juxta Pii V. constitutionem nu. 167. allegatam Dispensatio ab Officiali Toletano facta fuit nulla, non quidem quia oratores omnino propinquiori solum remotiorem gradum expressere, sed quia hoc sciens Officialis dispensavit ante obtentas litteras declaratorias, ob quarum defectum etiam Urbanus VIII. Dispensationem illam nullam declaravit.

177 Hinc bene notandum Pium V. tantum in hoc de-

rogasse constitutioni Pii IV. quòd sic statuerit Breve dispensationum solo expresso gradu remotiori impetratum esse ob- & subreptitium, ipsamque dispensationem inde secutam esse nullam ex hoc solo, quia gradus propinquioris litteris declaratoris postea, nil suffragantibus litteris declaratoris postea forsitan obtentis; Pius V. autem istud corrigendo statuerit, hujusmodi Breve ex hoc capite non esse subreptitium, sed perinde valere, ac si gradus propinquioris expressus fuisset; dummodo postea, & quidem ante Matrimonium obtineantur litterae declaratoriae, quas expressè requirit, obtentis tamen NB. postea litteris declaratoris. Ex quo patet Pium nullatenus statuisse, uti Adversarii putant, quòd litterae dispensatoriae omnino propinquo gradu obtentae possint executioni mandari, & ipsa Dispensatio à Delegato valide fieri ante obtentas, & exhibitas litteras declaratorias, sed tantum, quòd ob praefatam omissionem litterae Apostolicae non sint subreptitiae, possintque valide executioni mandari, si obtineantur, ( id est, post ita impetratum Breve, & adiacente ante Matrimonium ) litterae declaratoriae, propinquum non obstante. Quod ipsum etiam vult, & consequenter priorum correctio non est Constitutio Urbani VIII. Et ita interpretari Bullam Pii vident non tantum ipsa Bulla, & clausula Bullae Pii V. inserta, obtentis tamen postea litteris declaratoris, sed etiam in constitutionum Concordantiae arg. c. cum expediat. de Elect. in 6. quae ex tali interpretatione genuina sequitur, ipsaque Curiae praxis, stylus, & consuetudo, quae est optima legum interpretatio c. 8. de Constitut.

178 Sed dicit tertio Gobath, esto in hoc sensu accipiatur Bulla Urbani VIII. tamen non est attendenda: Tum quia in illo sensu non est recepta: Tum quia post aliquos annos primùm à Barbosa è tenebris fuit producta: Tum quia post illam plures DD. expressè docuerunt contra hunc sensum Bullae. Resp. Etiam has rationes nec quidem probare; Non prima: quia falsum est, Bullam in hoc sensu non esse receptam, cum Pyrrhus Corrad. (cui utpote in hac materia summè practico, & in Curia per plures annos sedenti utique credendum) loc. cit. lib. 7. cap. 7. nu. 72. & nu. 171. expressè testetur, omnes Practicos Curiales juxta praefatum sensum Bullae Urbani procedere, eique conformem esse praxin curiae, ita, ut ipse saepius observaverit, plures Dispensationes fuisse declaratas nullas ex eo, quòd in casu nostro à Delegatis fuerint factae, non habitis prius litteris declaratoris. Ex quo conruit etiam secunda ratio; cum constet Bullam Urbani VIII. juxta memoratum sensum semper fuisse in usu vigare.

179 Quod ut magis credant, clarisque oculis videant, adducimus recentiore aliam Urbani Bullae simillimam Innocentii X. qui sicut Urbanus VIII. declaravit Delegatum à se invalidè dispensasse, & nuptias inde secutas incestuosas, consequenter etiam invalidas fuisse, ex hoc solo, quòd litterae Pontificiae non expresso propinquo gradu fuerint obtentae, & non obtentis postea litteris declaratoris eas executioni demandari, seu dispensari Delegatus. Ut videre est ex copia sequenti.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri nostro Episcopo N. Salutem & Apostolicam benedictionem. Aliis pro parte dilecti filii Joannis Falconii laici, & dilectae in Christo filiae Annae Sabine mulieris Aesculan Diocesis, nobis expositum fuit praedictum Annam dotem habere minus competentem, juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non conjugium, vel affinem pariter conditionis, cui nubere posset, invenire nequiret, & dictum Joannem illum cum dicta minus competentem dote in uxorem ducere, intendere: Sed quia Quarto Consanguini-

nitatis gradu hinc erant conjuncti, desiderium totum ea in parte adimplere non posse abique Sedis Apostolicae dispensatione. Quare pro parte eorumdem Joannis & Annae nobis humiliter supplicatum fuit, quatenus eis in praemissis de opportuna dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos hujusmodi supplicationibus inclinari, dilecto filio Vicario venerabilis fratris nostri Episcopi Aesculan per alias nostras litteras dedimus in mandatis, quatenus, si preces veritate niti reperiret, cum eisdem Joanne & Anna, quòd impedimento Quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, Matrimonium inter se publice servatà formà Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, & in eo postmodum remanere liberè & licitè valerent, auctoritate nostra dispensaret: prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando; prout in dictis litteris continetur. Cum autem, sicut exhibitum nobis nuper pro parte dictorum Joannis, & Annae petitio contineret, litteris praedictis dicto Vicario praesentatis, idem Vicarius contenta in eis versificari mandaverit, & quamvis in versificatione ipsi constaret, ipsos Joannem, & Annam Tertio & quarto Consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos, nihilominus cum dictis Joanne, & Anna super impedimento hujusmodi, si et nulliter, & de siclo dispensavit, cujus quidem dispensationis praetextu, ipsi Joannes, & Anna Matrimonium inter se per verba de presenti publicè servatà formà Concilii praedicti, nulloque detecto, neque denunciato impedimento contraxerunt, illudque in facie Ecclesiae solemnizârunt, & carnali copula consummârunt, proindeque iidem Joannes, & Anna in hujusmodi Matrimonio remanere non possint abique Sedis Apostolicae dispensatione, & si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent versimiliter exoriri. Quare pro parte eorumdem Joannis & Anna nobis denuo fuit humiliter supplicatum, quatenus eis, ne dictarum litterarum frustratum effectum praemissis opportunè providere, de simili benignitate dignaremur. Nos igitur eisdem Joannem, & Annam, ac eorum quemlibet amplioris gratia favore prosequi volentes, & à quibusvis &c. censuris posterioribus supplicationibus hujusmodi etiam inclinari, fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus negotium hujusmodi reasumens, literasque praedictas valere decernens, monito predicto Vicario, ut à similibus in posterum omnino abstineat, ac imposita dictis Joanne, & Anna propter incestum hujusmodi arbitrio tuo penitentia salvari, & quatenus contra ipsos, causa super praemissis in iudicium quoquo modo deducatur, pariter iudicato, eosdem Joannem, & Annam, si hoc à te humiliter petierint, à generali excommunicationis sententiis, quam propter praemissa incurserunt, incestus reatu, & excessibus hujusmodi in utroque foro, dicta auctoritate absolvas in forma Ecclesiae consuetae, ac cum eisdem Joanne, & Anna, quòd impedimento Quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, Matrimonium inter se de novo publice servatà formà ejusdem Concilii, contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, & in eo postmodum remanere liberè & licitè valeant, eadem auctoritate dispenses. Distantiam verò Tertii gradus praefati eis non obstante declares: prolemque susceptam, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernas, ac ad earundem litterarum executionem, servatà aliis earum formà, de novo procedas, in omnibus, & per omnia, perinde, ac si in illis Joannem & Annam praedictos non Quarto, sed tertio, & Quarto à communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus esse conjunctos, expressum, ac cum eisdem desuper dispensari, & declarari mandatum, praemissaque minimè secuta fuissent. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in dictis Reifficuluel Jus Can. Tom. IV.

180 tis litteris volumus non obstante, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Roma &c.

Et ex his abundè patet litteras Dispensationis non expresso propinquiori gradu obtentas carere quidem vitio sub- & obreptionis, Delegatum tamen v. g. Ordinarium, non posse eam executioni mandare, seu actu dispensare, nisi prius obtineantur, & eidem exhibeantur litterae declaratoriae, consequenter non attendendos esse Doctores contrarium docentes.

181 Ad fundamenta Adversariorum jam patet ex dictis. Ad illud, quo dicitur, quod gradus remotior trahat ad se propinquiores, gratis conceditur; quia non dicimus dispensationem esse necessariam super gradu propinquo, sed litteras declaratorias illum non obstante, quibus non habitis Delegatus concessam non habet potestatem dispensandi, consequenter invalidè dispensat, juxta dicta.

182 Notandum tamen, haec procedere de solo foro externo: Nam si pro solo interno petatur dispensatio, propinquioris gradus expressio non est necessaria, nec litterae declaratoriae, illum non obstante. Ratio est; quia tan Pii IV. quam Pii V. Constitutiones requirentes, ut etiam propinquior gradus exprimat, vel litterae declaratoriae obtineantur, emanatae sunt pro solo foro externo ad evitanda scandala, & ob alias causas, quae locum non habent, quando dispensatio petitur pro solo foro interno.

183 Ceterum placuit hanc controversiam exactè discutere, ne Executores aliqui auctoritate plurium caeteroquin classicoorum DD. decepti in re tanti momenti, ubi agitur de valore Sacramenti, invalidè dispensent maximo cum praedictio putativè dispensatorum, utpote qui invalidè copulati, in perpetuis incestibus saltem materialibus vivunt, & delictum gratias Sacramentalibus, ad sustinentiam onera Matrimonii summè necessariis, malos effectus experiantur.

184 IV. Si super impedimento consanguinitatis petatur dispensatio, & pro causa allegatorum copula, seu potius sequentia inde scandala, diffamatio mulieris &c. illaque habita fuit sub spe facilis obtinendae Dispensationis, debet necessariò exprimi, alias Dispensatio erit subreptitia, & nulla, etsi una tantum pars talem spem habuerit. Patet ex dictis supra nu. 55. Dicitur autem, si pro causa allegatorum.

185 Nam autem necessariò semper exprimi etiam debeat copula cum consanguinea ante Matrimonium cum, vel abique spe facilis consequendi Dispensationem habita, casu quo alia legitima dispensandi causa afferretur, celeberrima, & gravissima controversia est inter Doctores. Justis quidem de Dispensat. lib. 1. cap. 4. à n. 229. usque ad finem negativam tenet, eamque pro extenuum probare, & fundamenta contraria refutare conatur. Eandem negativam amolecuntur Pontius lib. 8. cap. 17. §. 6. per totum. Diana p. 1. Tracl. 10. Resolut. 44. & p. 8. Tracl. 3. Resolut. 31. Cevall. in specul. aurore. 99. commun. contra commun. 4. 737. per totum. Ecolobat, & alii relati à Justis, & Diana. Ratio eorum praecipua est: Tum quia nec Jure (ut apertè) nec stylo curiae, nec ratione requiri videtur, ut copula habita exprimat, casu quo alia legitima causa dispensandi allegatur.

186 Econtra Sanchez lib. 8. Dsp. 25. nu. 8. Gutierrez de Matrim. cap. 124. nu. 12. & ex professo lib. 1. can. 4. q. cap. 15. à n. 16. Barbosa lib. 2. Votorum. voto 17. à nu. 57. Garcia de Benef. p. 8. cap. 3. à nu. 30. Corrad. in Praxi Dispensat. lib. 8. cap. 71. à n. 3. Layman lib. 1. Tracl. 4. cap. 22. n. 18. Bonacin. de Legibus Disp. 1. q. 1. punct. 5. n. 9. Marc. Anton. Genuen. in Praxi. Archiepisc. Neapolit. cap. 25. nu. 4. & plurimi alii cum Nota De-



*cif. 72. nu. 1. apud Farin. Tom. 2. consil. crimin. & apud Gutierrez loc. cit. n. 25. ac Garciam loc. cit. docent. copulam, si jam est publica, necessariò esse exprimendam, etiam si alia causa dispensandi allegetur. Quorum sententia tanquam veriori, & probabiliori etiam nos subscribimus.*

186 Probatur hæc nostra sententia primò ex stylo Curia, de quo testatur Barb. loc. cit. n. 60. Genuens. loc. cit. n. 4. Bonacina loc. cit. & in Curia summè practicus Corrad. loc. cit. addens n. 36. ita fatentur omnes Curiales, quæ enim stylus curiæ exprimeret vult, sunt necessariò exprimenda, ut fatentur etiam aduersarii, cum stylus Curia flet pro lege arg. c. Ex litteris de Consil. & c. quàm gravi de Crimine falsi. Ratio autem inducendi hunc stylum fuit, ut consanguinei, & Affines arcerentur ab incestibus.

187 Probatur secundò: Taciturnitas veri, quo expressio Papa alio modo & non nisi certis cum moderationibus concedere solet Dispensationem, reddendam subreptiam. Sanch. lib. 3. Disp. 21. n. 17. & alii; atqui expressa copula incestuosa, alio modo, & cum certis moderationibus concedere Dispensationem solet Papa, eò quòd ob eandem copulam jubet majorem imponi pœnitentiam, majoremque exigat compositionem seu taxam pecuniariam, & ita dispensatos prohibet ad alias nuptias transire, si alteruter moriatur; uti fatentur omnes ob notorium stylum Curia: ergo &c.

188 Probatur & quidem efficaciter tertio ex pluribus Declarationibus, quas allegat Corrad. loc. cit. nu. 37. Gutierrez, Barhof. loc. cit. Garcias nu. 70. & alii. Una declaratio apud Corrad. loc. cit. numer. 38. ita sonat: *Congregatio Cardinalium Concilii censuit Dispensationem subreptiam, si inter consanguineos, vel affines, aut spiritui cognatiome consanguineos carnalis copula præcessisset, cujus mentionem in supplicatione non fecissent &c.* prout stylus Curia: observat.

Quod intellige non tantum quando copula præcedit supplicationem Pontifici porrigendam, sed etiam, si eam sequitur; inò etiam, quando contingit, postquam literæ dispensationis à Papa jam sunt concessæ, à Delegato verò nondum executioni mandatæ: uti tenent DD. numer. 185. citati, patetque ex declaratione infra num. 193. alleganda.

Nec valent argumenta, quibus has declarationes impugnat, & infirmare conatur Justis loc. cit. à nu. 369. ubi principaliter duo opponit. Primò, quòd de eis non consistit authenticè. Secundò quòd non sunt promulgatæ. Nam circa primum patet ex dictis lib. 1. in proœmio §. 8. à nu. 127. ubi ex Fag. in c. quoniam, de consil. nu. 59. ostendimus, vix ab irrevocantia, & temeritate abesse, sententiam declarationibus Cardinalium contrariam liberè tueri ex hoc solo, quòd non afferantur in forma authentica, si in probatis collectoribus (quales utique censendi Corrad. Gutierrez, Garcias, Ledesma &c.) fideliter allegatæ inveniuntur, & cæteroquin de earum existentia nulla probabilis dubitandi ratio appareat. Ad secundum pariter ex citato Procem. §. 8. à n. 132. ubi clarè ostendimus, ad hoc, ut Declarationes Cardinalium obligent, non requiri earum publicationem, nisi novum jus, legem, vel Decretum faciant, quòd non fit in allegatis Declarationibus, utpote, quæ præcisè declarant mentem Pontificis, & stylum Curia: prius jam existentem.

189 Probatur quartò: Illud est necessariò exprimendum, quò non expressio fit injuria, & præjudicium tertio; nam Papa nunquam vult tertio præjudicare per vulgaria; atqui si copula non exprimitur,

præjudicatur tertio, Officialibus nempe Curia: qui propterea fraudantur majori taxa, seu compositione; ad quam habent jus, quia Officia emerunt sub conditione percipiendi solita; quorum jura tollere, aut eis præjudicare nunquam censendus est Papa, ut cum aliis bene observat Corrad. lib. 7. cap. 7. n. 67. arg. c. super eo. de Offic. Delegat. & l. id., quòd nostrum ff. de Reg. Jur.

Probatur quindò: quando agitur de valore Sacramenti, non licet sequi sententiam probabilem minus tutam, relicta probabiliori tutiori, uti patet ex Decreto Innocentii XI opinionem contrariam condemnantis; atqui spectatis probationibus supra dictis, stylo curia:, & Declarationibus Cardinalium sententia nostra requirens expressionem copula: præhabita, si non moraliter certa, saltem probabilior videtur, simulque hic agitur de Sacramenti valore, utpote qui à valore Dispensationis dependet: ergo &c. Hinc minime audiendus, minus sequendus est Justis in eo, quò propositioni damnatæ conformiter dicit, dato, quòd nostra opinio (videlicet, valere Dispensationem etiam copula præhabita non exprimat) sit minus probabilis; ex quo tamen probabilis est, ut diximus, potest quis utriusque conscientiam eam sequi relicta probabiliori, quia ad effectum non peccandi, sufficit in foro conscientie sequi opinionem probabilem: siquidem hæc doctrina damnata est, ut dictum.

Dicitur autem notanter num. 185. si copula jam est publica: hæc enim si est occulta, ejus expressionem necessariam non esse, bene cum aliis docet Sanchez lib. 8. Disp. 25. nu. 10. Ratio est; quia præsumi non potest, quòd Ecclesia pia mater velit, ut quis se ipsum gravissimè diffamet, & vitæ periculo exponat, manifestando inculpè occultè commissum. Unde sicut nullum aliud, ita neque crimen occultum in foro externo propalare tenetur petens Dispensationem. Hinc argumenta hæcenda pro necessariò exprimendi copulam allata intelligenda sunt de casu; quò copula jam est manifesta; neque Papa velle censetur, neque Officialia Curia: jultè prætereundè possent, ut ob aliquam majorem taxam eis obtulerant, oratores manifestando, in foro externo gravissimum incestus delictum occultum, famam, & vitam profuturam.

Et quamvis Sanch. loc. cit. n. 13. velit, quòd copula existens occulta saltem apud S. Pœnitentiariam exponi, & sollicitari debeat, ut vitium Dispensationis suppleat. Verum hujus expressionis non apparet solidum fundamentum; si enim, ut ipse fatetur Sanchez pro utroque foro validè dispensatur à Dataria v. g. vel Cancellaria, tanquam Dialecterio pro utroque foro deputato, non apparet, cur dein adhuc etiam in Pœnitentiaria pro solo foro interno deputata proponatur incestus, præsertim cum incestus cum consanguinea propria Dispensatione non indigeat, & ob illum S. Pœnitentiaria taxam exigere nec possit, nec solet, utpote quæ cunctis suas litteras expedit gratis, & propterea à tergo litterarum signat gratis ubique; uti notat Sanchez lib. 8. Disp. 34. nu. 64.

Cæterum debet copula publica (non item occulta) exprimi, etiam eam Oratores prius habuerint, postquam supplicationem Papæ jam præsentarunt, vel postquam Papa mandatum de dispensando jam expedit; uti Delegatus illud executioni nondum mandavit, seu si hic actu nondum dispensavit, licet dispensati Matrimonium adhuc non contraxerint. Pirr. Corrad. lib. 8. cap. 1. à num. 38. Sanchez lib. 8. Disp. 24. nu. 11. Ratio est; quia antequam Delegatus dispense, Dispensationis gratia non censetur perfecta, consequenter semper adhuc currit necessitas exprimendi copulam

lam publicam præhabitam, prout bis expresse declaravit etiam S. Congregatio apud Corrad. loc. cit. nu. 42.

Prima sic sonat: *qui Romam miserunt pro Dispensatione, & habito nuncio quòd litera sacrum expedita, contraxerunt, vel se cognoverunt, & ita verum est, fuisse expeditas, & habere datam ante Contractum, vel commisionem, nullas Dispensationes esse, Congregatio Cardinalium censuit.*

Altera sic sonat: *Congregatio Cardinalium censuit Dispensationem reddi nullam ex copula præcedente Dispensationem, si de ea non fuerit facta mentio in supplicatione: Copulam verò sequentem post Dispensationem ab Ordinario factam non impedire Matrimonium validitatem.*

194 Illud tamen notandum, non esse necesse exprimere, quoties copula sit habita, sed sufficere, si exprimat copulam esse habitam. Sanchez lib. 8. Disp. 24. numer. 7. Justis lib. 1. cap. 4. num. 162. Guz. p. 8. cap. 3. numer. 77. & alii communiter. Corrad. lib. 8. cap. 1. num. 79. testans de praxi. Ratio est; quia multitudo copula: non auget Affinitatem, nec reddit difficiliorum Dispensationem.

Ex hæcenus dictis patet, nostram sententiam de necessitate exprimendi copulam, minime esse duram; cum enim juxta eam copula occulta exprimenda non sit, publica verò si, ut fieri debet, exprimitur, Dispensationem magis faciliat, & exprimentem non diffamat, utpote jam prius diffamatum, non apparet, cur quis diffidat vellet, copulam manifestare; nisi quia majorem pœnam sustinere, majoremque taxam porrigere debet: quòd utrumque tamen acquirat conformè, aliis ad terrorem, & exemplum meriti fuit statutum.

195 Queritur III. Quamam necessariò debeant exprimi, quando petitur Dispensatio super impedimento Affinitatis & publicæ honestatis? de quorum primo Tit. XIV. altero autem Tit. IV. Resp. I. Super impedimento Affinitatis debent exprimi omnia, quæ à n. 167. de consanguinitate diximus esse manifestanda, videlicet I. Gradus juxta dicta nu. 163. II. Multiplicitas vinculi, si adest, juxta dicta nu. 165. Et quidem in eadem supplicatione, conformiter dictis n. 166. III. Etiam gradus propinquus, si inæqualiter distat, per dicta n. 166. IV. Copula præhabita, juxta dicta à nu. 183. Ratio est; quia Jura, stylus Curia:, & rationes in hoc puncto de Consanguinitate, & Affinitate æqualiter procedunt juxta communiem Dotorum, patetque ex Bulla Pii V. supra n. 167. allegata.

196 Ulterius debet exprimi, utrum Affinitas proveniat ex copula licita, vel illicita: si super primo, vel secundo gradu petitur Dispensatio. Sanchez lib. 8. Disp. 24. Justis de Dispens. nu. 151. & alii. Ratio est; Tum, quia difficilior dispensatur super Affinitate ex copula licita, quam illicita: Tum ut cognoscatur, an etiam concurrat publica honestas, hæc enim cum semper concurrat cum Affinitate ex copula licita, tacite exponitur, & super eadem tacite dispensatur, si exprimitur, quòd Affinitas orta sit ex copula licita.

197 Unde, ut bene ibidem docet Sanchez, non est necesse, ut quis concurrentem cum Affinitate exprimat etiam publicam honestatem, si exprimit Affinitatem ex copula licita, secus si in genere tantum illam exprimat; quia, cum tunc de Affinitate tam ex copula licita, quam illicita intelligi possit, ex hac autem non oritur publica honestas, debet ista honestas necessariò exprimi; cum alias super ea utpote nec tacite nec expresse proposita non caderet dispensatio, quæ tanquam odiosa, & strictè ultra expressa non extenditur per dicta superius. Hoc

ultimum tamen limita in casu, quo super tertio vel quarto Affinitatis gradu petitur Dispensatio; tunc enim nec est necesse exprimere, ex qua copula oritur, nec an concurrat cum honestate publica; hoc ipso, quòd Affinitas ex copula illicita ultra secundum gradum non extendatur, consequenter si tertius vel quartus gradus exprimitur, sufficienter jam innuitur, eam esse ex copula licita, & habere secum concurrentem Honestatem publicam. Et hinc nu. 196. notanter dictum est; si petatur Dispensatio super primo, vel secundo gradu Affinitatis.

An Affinitas sit in linea recta, vel transversali, 198 exprimi quoque debet, Sanchez loc. cit. num. 14. Justis loc. cit. num. 152. Ratio est; Tum vel non datur Dispensatio in linea recta Affinitatis ex copula licita juxta dicta Tit. XIV. vel ducere affinitatem in linea recta v. g. matrem vel aviam, aut nepotem uxoris defunctæ, aut patrem vel avum, vel nepotem mariti defuncti longè indecentius est, quam affinem in transversali v. g. sororem, aut ex sorore nepotem uxoris defunctæ. Addit tamen rectè Sanchez loc. cit. nu. 14. lineæ rectæ vel transversaliæ expressionem non esse necessariam, si affinitas oritur ex copula illicita, eò quòd ex hac non oritur nobiliter major reverentiæ obligatio ex linea recta, quam ex transversali.

Resp. II. Si super Honestate publica petatur Dispensatio, debet exprimi, an sit ex Spontalibus, vel Matrimonio. Justis lib. 1. cap. 3. n. 152. Sanchez & alii, quia ex Matrimonio fortius oritur vinculum honestatis publicæ, quam ex Spontalibus. Dixi, si super primo gradu, quia, si super remotior petatur, id exprimere non erit necesse, quia jam scitur, eam peti super Honestate ex Matrimonio hoc ipso, quòd ex Spontalibus primum gradum non excedat per dicta Tit. IV.

Queritur IV. Quamam necessariò debeant exprimi, quando petitur Dispensatio super impedimento Cognationis spiritualis? de quo Tit. XI. Resp. Debent oratores. I. Cognationem spirituales ita exprimere, ut cognoscatur, an intercedat filiatio, & paternitas, vel maternitas, an verò tantum compaternitas, seu Commaternitas; Sanchez lib. 8. Disp. 24. nu. 15. Aversa de Matrim. §. 19. sect. 5. v. sexta. Justis loc. cit. nu. 168. Ratio est; quia longè indecentius est Matrimonium inter patrem, & filiam spirituales, quam inter compatrem & matrem hujus filia: aut commatrem & patrem ejusdem. Accedit, quòd in paternitate spirituali nunquam, aut vix dispensare solet Papa juxta dicta num. 136.

II. Exprimi debet, si Cognatio spiritualis est duplex, puta, si quis alicujus prolem unam è fonte levavit, & eandem in Confirmatione tenuit: vel ejusdem prolem unam tenuit, alteram levavit: vel si unus alterius liberos vicissim levavit, Justis lib. 1. cap. 4. nu. 169. Aversa loc. cit. & alii. Hæc tamen cognatio non multiplicatur, nec erit necesse exprimere, si quis plures ejusdem liberos è sacro fonte levavit, aut in confirmatione tenuit; uti ex declaratione Clementis VIII. refert Garcias p. 8. cap. 3. n. 78. Justis loc. cit. n. 170. Neque erit necesse, exprimere, an Cognatio spiritualis proveniat ex Baptismo, vel Confirmatione, sed sufficit exprimere spirituales filiationem, vel compaternitatem. Sanchez lib. 8. Disp. 24. n. 15. Ratio est; quia hæc nihil, vel parum mutant, vel augent.

Queritur IV. Quamam necessariò sint exprimenda, quando petitur Dispensatio super impedimento Criminis? de quo Tit. VII. Resp. Esse exprimendum I. An sit ex Machinatione in mortem conjugis, an ex solo Adulterio sine Machinatione, vel an ex



utroque simul. Justis loc. cit. nu. 188. & alii communiter. Ratio est; quia, si ex Machinatione procedit, Papa pro foro externo nunquam dispensat, pro interno autem difficulter juxta dicta superius n. 188 & 139.

203 Queritur V. Majoris commoditatis gratia, quoniam in compendio sint, quae juxta dicta hoc §. necessarii exprimi debent, ne Dispensatio sub-vel obreptitia censetur? Resp. I. Super quocunque impedimento petatur Dispensatio necessarii exprimenda (praeter justam, ac legitimam causam, quae ad quamvis Dispensationem requiritur juxta dicta §. I.) sunt in compendio sequentia, videlicet. I. Nomen, & cognomen oratorum. II. Nomen Diocesis, & si petatur Dispensatio ob angustiam loci, vel locum ad litus maris, etiam locus oratorum. III. Impedimentum in specie, & distincte, juxta dicta nu. 150. IV. Si oratores plura impedimenta habent, debent omnia exprimere, & quidem V. In eadem supplicatione juxta dicta nu. 151. & seqq. VI. Copula praehabita, juxta dicta n. 155. VII. Matrimonium prius jam contractum, juxta dicta n. 157.

Resp. II. Pro Dispensatione super impedimento consanguinitatis, praeter dicta numer. praeced. Specialiter exprimi debet I. Gradus consanguinitatis & linea, juxta dicta numer. 162. II. Multiplicitas vinculi per dicta numer. 165. III. Etiam gradus propinquus, si inaequaliter distant, juxta dicta a nu. 166. IV. Copula praehabita, juxta dicta a nu. 183.

Resp. III. Pro Dispensatione super impedimento Afinitatis, omnia sunt exprimenda, quae super Consanguinitate, & insuper ea, quae diximus, n. 196.

Resp. IV. Pro Dispensatione super impedimentis publicae honestatis, Cognationis spiritualis, & criminis compendiosa recapitulatio superflua, quia compendiose jam habetur a n. 199.

§. V.

De Falsitate, & Errore precum, seu supplicationis, vitiant Dispensationis litteras, easque sub-vel obreptitas reddente; Item de Tempore & Modo, quo verificari debent causae pro Dispensatione obtinenda allegatae.

S U M M A R I U M.

- 204 Causa dispensandi alia est motiva, seu finalis, ac principalis; alia tantum impulsiva.
- 205 Non quaevis, sed illa tantum Falsitas vitiat Dispensationem, qua non expressa Papa non dispensasset.
- 206 Falsitas circa causam finalem, seu motivam invalidat Dispensationem.
- 207 Nisi sint plures causae finales, & una saltem earum vera.
- 208 Falsitas circa causam impulsivam non vitiat Dispensationem.
- 209 Unde cognosci valeat, causam esse motivam, vel impulsivam? remissive.
- 210 Error Nominis, vel pronominis oratorum de Jure non vitiat Dispensationem, bene vero de stylo Curiae.
- 211 Maxime quando Dispensatio in forma pauperum est.
- 212 Nisi error esset tantum in aliqua syllaba, vel oratoris unum nomen baptismale omitteretur.
- 213 Error in nomine Diocesis vitiat Dispensationem.

Si oratores sunt diversa Diocesis, dicit utraque exprimi: & delegatur dein Ordinarius oratoris.

- 214 Error circa locum, vel patriam Oratorum non invalidat Dispensationem, nisi petatur ob angustiam loci.
- 215 Error circa impedimentum & gradum vitiat Rescriptum.
- 216 Nisi ejusdem impedimenti gradus propinquior esset expressus loco remotioris.
- 217 Varia consideratio temporis.
- 218 Non est necesse, causam allegatam veram esse, aut existere tempore, quo fit supplicatio.
- 219 Solutur obiectio.
- 220 Nec est necesse, existere allegatam causam tempore, quo litterae expediuntur Romae.
- 221 Sed sufficit, & requiritur eam veriori tempore, quo Delegatus litteras Dispensationis exequitur & actu dispensat: Et duobus §. qq.
- 222 Doctrina practica inde deducta.
- 223 De facto non Papa, sed ejus nomine Ordinarii dispensant ex speciali mandato.
- 224 Est distinguendum inter mandatum de dispensando, & inter ipsam Dispensationem.
- 225 Solutur Obiectio.
- 226 Facta semel per Delegatum Dispensatione non requiritur, ut causa adducatur, dum contrahitur Matrimonium.
- 227 Ponitur, & solvitur obiectio: & duobus §. qq.

Notandum prius, Falsitatem in supplicatione posse variè praecipue verò circa causas dispensandi contingere: idque vel circa causam motivam seu finalem (quae etiam principalis vocari solet) vel circa impulsivam tantum. Ubi per causam motivam, seu finalem intelligitur illa, quae movet Papam ad dispensandum, seu quae non expressa Papa vel omnino non, vel saltem non tam absolute, sed solum restrictè, seu sub certis conditionibus, vel limitationibus dispensasset. Per causam impulsivam (quae etiam secundaria, & minus principalis dicitur) intelligitur, quae non movet ad dispensandum, sed juvat, & facit, ut facilius dispensetur, ita tamen, ut etiam illa non expressa Pontifex nihilominus, etsi difficillius dispensasset. Ita in re communis. Et patet ex dictis Lib. I. Tit. III. de Rescriptis. §. 8. n. 182. Hoc notato,

Queritur I. Quenam falsitas precum, seu supplicationis, praesertim circa causam vitiat Rescriptum, seu Dispensationem, eamque sub- & obreptitiam, consequenter nullam reddit? Resp. I. Non quaevis falsitas, sed illa tantum vitiat Dispensationem, qua non expressa Pontifex non dispensasset; etsi per ignorantiam vel simplicitatem fuerit expressa. Ita communis, textu clarissimo c. super Litteris 20. de Rescriptis. cujus textum, sicut & totam conclusionem amplius probatam, & explicatam vide cit. Lib. I. Tit. III. §. 8. a n. 156.

Resp. II. Falsitas circa causam motivam seu finalem etiam ex simplicitate, vel ignorantia commissa vitiat, & nullam reddit Dispensationem. Unanimis & certa. Arg. cit. c. super litteris de Rescriptis. Accedit, quod omnis Dispensatio expressè, vel tacite habeat hanc clausulam conditionariam; si preces veritate nitantur, vel gradu c. 2. de Rescriptis. Quae verificari debet saltem in principali, seu motiva causa; ne alias Pontifex sine legitima causa dispensare videatur.

Limitatur tamen conclusio in casu, quo plures causae motivae seu finales, id est, tales sunt expressae, quarum quaelibet etiam tacitis aliis movisset ad dispensandum: tunc enim valet Dispensatio, si unica est vera, licet una vel plures aliae allegatae sint

sint falsae, ut cum aliis bene advertit Sanchez Lib. 8. Disp. 21. n. 42. & 44. Sperell. Decis. 30. n. 39. Justis de Dispensat. Lib. 3. cap. 1. n. 59. Gobath in Theolog. experiment. Tract. 9. n. 632. & 615. arg. cit. c. super litteris. 20. de Rescriptis. Ratio est; tum quia utile non debet per inutile vitari. c. Utile de R. I. in 6. Tum quia si saltem una causa est vera, & talis, ob quam etiam tacitis aliis dispensasset Papa, jam censetur reliquae potius impulsivae, quam finales, consequenter Dispensationem non vitiantes, etsi sint falsae, juxta conclusionem statim sequentem. Tum tandem, quia quando plura in disjunctivam arg. c. Cum jam dudum. de Praebend. At cum disjunctivè narratur causae, sufficit ad valorem Rescripti alteram esse veram, textu clero c. Inter caeteras. de Rescriptis. Et ibi Glossa ad DD. communiter. Et hoc bene est advertendum, quia in praxi saepe juvare potest.

208 Resp. III. Falsitas commissa circa causam impulsivam non vitiat Rescriptum seu Dispensationem, nec obest valori illius. Hanc conclusionem solutus etiam objectionibus fuisse probatam habes per Doctores, Jura, & rationes allegatas Lib. I. Tit. III. §. VIII. a n. 184. ubi vide, ne fiat superflua repetitio. Autoribus loc. cit. allegatis ad pro conclusionem etiam Justis de Dispensat. lib. 1. cap. 4. n. 28. & plures alios ab eodem ibidem citatos.

209 Si quaeras, unde cognosci valeat, causam aliquam esse motivam seu finalem, vel potius impulsivam tantum, consequenter utrum illa tacite Papa dispensasset vel non? Resp. Ad hoc quaesitum rursus satis patere ex cit. Lib. I. Tit. III. §. VIII. a num. 194. ubi inter alia dicitur, & probatum est primo, quod si in Dispensatione allegetur unica tantum causa, ea semper censetur finalis, consequenter falsa existens vitiet, & invalidet Dispensationem. Secundo, quod pluribus allegatis causis defumendum sit ex stylo Curiae, & in illis defectu, prudenti Judicis arbitrio, quoniam sit causa finalis, seu motiva, quoniam impulsiva. Ex quo colliges causa §. 69. allegatas, utpote stylo Curiae receptas, esse motivas, seu finales, & principales, in casibus, & gradibus ibidem expressis. Tertio, quod, quando consideratis considerandis dubium remanet, an causa falso allegata sit finalis, seu motiva, an verò impulsiva, praesumendum sit, eam esse impulsivam tantum, nisi sola sit allegata. De quibus amplius vide loc. cit.

210 Queritur II. An, & qualis Error vitiet, ac invalidam reddat Dispensationem? Ante responsum nota, Errorem ad praesens possit duobus contingere in Nomine, vel Cognomine Oratorum: Item in loco Oratorum, praesertim Diocesis: Item in ipso impedimento, vel gradu illius. Resp. I. licet error in Nomine & pronomine de Jure non vitiet Rescriptum textu clero L. si in Nomine C. de Testam. ibi: si in nomine, vel pronomine seu cognomine, seu agnomine, testator erraverit, nec tamen, de quo senserit incertum sit; error hujusmodi nihil officit: ac propterea Sanchez de Matrim. lib. 8. Disp. 21. nu. 37. Justis cap. 4. n. 54. Paris. de Resig. lib. 1. q. 6. n. 53. & plures alii velint, id etiam procedere quoad errorem nominis, vel cognominis Oratorum in Dispensatione Matrimoniali, tamen teste Corrad. lib. 7. cap. 5. n. 3. & seqq. allegante testimonium omnium Curialium (quibus unice credendum) de hodierno stylo & praxi, contrarium servatur, & consequenter ab executoribus observandum est, cum stylo Curiae stet loci legis, arg. c. Ex litteris. de Conlit. & c. quom gravi. de Rescriptis. Nec locus est correctioni erroris, sed debet de novo fieri supplicatio, uti ex stylo

idem docet Corrad. loc. cit. nu. 7. dicens, styllum hunc merito esse introductum ad evitandas innumeras fraudes, quibus omnia jura resiliunt. L. si cui. ff. de servitut.

Et hoc maxime procedit, Dispensationemque invalidam reddit error nominis, vel pronominis, si Dispensatio est in forma pauperum; ut ipse priori conclusioni adversarius etiam fatetur Justis loc. cit. nu. 56. ed quod alia Officialia Curiae in eorum emolumentis jure sibi debitis saepe praerudicium paterentur.

Illud tamen cum Corrad. loc. cit. num. 8. notandum, quod, si in aliquo Dispensationis Rescripto reperiretur verisimilis error consistens praesè in mutatione alicujus litterae, vel syllabae, ut si loco Antonii scriberetur Antonini, vel loco Bernardi, Bernardini, valeret Dispensatio: sicut etiam, si quis duo nomina Baptismalia habens, v. g. Joannes Adamus, unum tantum exprimeretur v. g. Joannes.

Resp. II. Error in Nomine Diocesis, quo dicitur v. g. Oratores esse Diocesis Ratisbonensis, cum sint Frisingensis, vitiat, & invalidam reddit Dispensationem. Sanchez lib. 7. Disp. 21. nu. 39. Corrad. lib. 7. cap. 5. nu. 28. Justis lib. 1. cap. 4. a num. 66. cum communi, ob notorium styllum Curiae, de quo testatur Corrad. & Justis loc. cit. bene etiam notantes, quod, si Oratores sint diversa Diocesis, debeat utraque exprimi: quo casu dein litterae Dispensationis committuntur Ordinario Oratoris. Ratio autem, cur error Diocesis vitiet, est, quod tunc nullus Ordinarius possit exequi litteras, non proprius Oratorum, quia eadem, uti supponitur data commissio non fuit: nec ille, cui per errorem data est, quia est contra intentionem dantis, qui non nisi Ordinario impetrantium, qui eas impetrarunt. committuntur Ordinarii illorum, qui eas impetrarunt.

Resp. III. Error circa locum, seu patriam Oratorum non vitiat Rescriptum, nisi petatur Dispensatio ob angustiam loci, vel ob locum ad litus maris. Justis loc. cit. a nu. 59. Corrad. loc. cit. a nu. 30. & alii. Ratio est; quia expressio patriae, nisi sit Diocesis, vel ob angustiam, omnino non est necessaria; consequenter error circa illam nil importat. Secus est, si ob angustiam, vel locum ad litus maris petitur Dispensatio. Ratio est; quia tunc locus denominatus est causa motiva, seu finalis, consequenter error circa illam vitiat Rescriptum per dicta supra n. 206.

Resp. IV. Error circa ipsum impedimentum, vel gradum vitiat & invalidat Dispensationem; prout supra jam dictum nu. 150.

Excipe tamen casum, quo exprimeretur propinquior gradus pro remotiori ejusdem speciei; dicendo v. g. Oratores esse in tertio consanguinitatis gradu, cum tamen essent in quarto: Tali siquidem in casu etsi Papa expressè tantum dispenlet in propinquo v. g. tertio utpote solo expresso, tamen tacite etiam censetur dispenlare in remoto. Sanchez lib. 8. Disp. 24. nu. 17. Justis lib. 1. cap. 4. n. 131. Pont. lib. 8. cap. 17. §. 5. nu. 31. cum communi aliorum. Ratio est; quia gradus propinquus includit in se etiam remotum ejusdem, non item diversae speciei. Hinc licet juxta dicta nu. 150. in Dispensatione non valeat argumentum à majori ad minus, valet tamen, si gradus sunt ejusdem speciei; v. g. consanguinitatis. DD. citati.

Queritur III. Quo tempore verè esse, seu verificari debeant causae pro obtinenda Dispensatione allegatae? Notandum prius, non sufficere, adesse vel adfuisse legitimam dispensandi causam, nisi



tempore requisito adit. Potest autem ad praesens quadrupliciter considerari tempus, videlicet. 1. Tempus, quo Oratores supplicationem pro Dispensatione mittunt, vel tradunt Pontifici. 2. Tempus, quo litterae Dispensationis Romae expediuntur. 3. Tempus, quo illas sibi exhibitas Ordinarius, vel alius Delegatus exequitur, & actu dispensat. 4. quo facta jam Dispensatione Matrimonium ineunt dispensati. Hoc notato,

218 Resp. I. Non est necesse, causam Dispensationis veram esse, vel existere tempore, quo supplicatio mittitur, vel traditur Pontifici. Sanchez lib. 8. Disp. 30. nu. 2. eoque teste Doctores ferè omnes, dissentiente tamen Justis lib. 1. cap. 6. num. 299. & 300. Ratio est; quia tempus antecedens Dispensationem in considerationem non venit. Nec clausula illa, si ita est, vel si preces veritate nitantur; ad illud refertur, statim magis patebit ex dicendis infra.

219 Dices Falsitas circa causam motivam vitiat Rescriptum juxta dicta, praesertim si eam dolose proponunt Oratores, scientes, illam non subsistere, arg. c. super literis. 20. de Rescript. ergo si causa non subsistit tempore, quo fit supplicatio, Dispensatio erit irrita; praesertim si oratores sciunt eam non subsistere. Resp. Distinguo antecedens, falsitas circa causam motivam vitiat Rescriptum, si falsitas illa adest tempore executionis, conceditur, tempore supplicationis, negatur. Nec possunt dici fraudulentum oratores, si praevident causam modo quidem non subsistere, evenuram tamen tunc temporis, quo ejus existentia, & verificatio erit necessaria.

220 Resp. II. Neque requiritur, ut existat, & verificetur causa tempore, quo litterae Dispensationis Romae expediuntur. Ita Doctores citandi nu. sequenti contra Sanchez lib. 8. Disp. 30. nu. 4. Abbas in c. Quia circa, de Rescript. n. 6. & ibi Joan. Andr. num. 3. Hostiensis paulò post principium. Gutierrez Canon. qq. lib. 2. cap. 15. num. 131. & plures alios. Probat autem Conclusio ex sequenti. Nam

221 Resp. III. Ad valorem Dispensationis requiritur, & sufficit existere, & verificari causam tempore, quo Ordinarius, vel alius Delegatus Pontificus exequitur litteras Dispensationis, seu actu dispensat. Primam partem, quod requiratur, ut existat, & verificetur, habet communissima DD. signanter Sanchez loc. cit. nu. 12. Pyrrh. Corrad. lib. 7. cap. 6. Justis de Dispensat. lib. 1. cap. 6. n. 285. Parif. Pontius lib. 8. cap. 20. n. 3. Gutierrez de Matrim. cap. 126. n. 2. Bonacin. de Legib. Disp. 1. q. 2. punct. 10. prop. 2. Ratio est; quia gratia Pontificia non habet vim perfectae & consummatae dispensationis, sed potius est mandatum de dispensando sub conditione tacita, vel expressa si ita est, seu si preces veritate nitantur, consequenter, si haec conditio, seu clausula non adimpletur, seu si allegata causa non verificatur tempore, pro Dispensatio fit, aut fieri deberet, Delegatus valide dispensare nequit. Nec refert, quòd prius tempore nempe supplicationis, & gratiae à Papa concessae jam extiterit: tum ob rationem datam: tum quia cessante causa finali cessat mandatum c. si pauper. de Praebend. in 6.

222 Interit cum Doctoribus allegatis, in sequentibus ac similibus casibus Delegatum nec licite, nec valide dispensare posse, & si dispensat, Dispensationem, ac Matrimonium nullum fore. 1. Si Puella, quae ob defectum dotis petit & obtinuit Romanam Dispensationem, postea, sed antequam Delegatus dispensavit, alià viâ, donatione v. g. hereditate &c. sufficientem obtinuit dotem, prout jam dic-

tum est supra n. 90. 2. Si lis super re magni momenti, ob quam Romae impetrata fuit Dispensatio, plenè terminata fuit ante Dispensationem ab Ordinario factam. 3. casu, quo ex causa angustiae petita ac etiam obtenta est Romae Dispensatio, si ante ejus executionem à Delegato factam, aequalis vir mulierem pro Matrimonio expetit.

223 Altera pars conclusionis, videlicet, quòd sufficiat verificari causam motivam tempore, quo Delegatus actu dispensat, est tempore, quo sollicitata, & Romae impetrata fuit gratia Dispensationis, nullatenus extiterit, nec vera fuerit, docetur à Pyrrh. Corrad. in Praxi Dispensat. lib. 7. cap. 6. numer. 24. allegante modernum styllum curiae & 25. Garcia de Benef. p. 6. cap. 2. numer. 283. & aliis. Ratio est; quia juxta dicta modernum styllum Curiae, Papa, vel Curia Romana ipsam et non dispensat, sed tantum dat mandatum, ut Delegatus dispense, sub conditione, & clausula si ita est, seu si preces veritate nitantur; ergo si Delegatus pro tunc, quo dispensare vult, reperit, rem de facto, seu de praesenti ita se habere, & causam revera existere, consequenter preces hoc tempore, quo vera Dispensatio fit, omnino nitenti veritate, conditio & clausula perfectè impleta habetur, consequenter nil impedit quin Dispensatio fieri queat, & facta subsistat. Cum Papa aliud non requirat, quam ut preces veritate nitantur, antequam dispense, quòd evenit in casu nostro.

224 Dices; haec conclusio videtur aperte militare contra SS. Canones; ubi Dispensationes nullae declarantur, casu quo causa motiva vel nunquam, vel non amplius extitit tempore datae, seu quo gratia Dispensationis Romae concessa fuit, ut patet ex c. Quia circa, de Consang. & Affinit. c. si eo tempore de Rescript. in 6. Resp. Hos & alios Canones loqui de tempore antiquo, quo Papa, vel Curia Romana nulli alteri mandatum dispensandi committens ipsemet perfectè, & completè dispensabat; quo tempore utique debuit verè existere causa; sicut eam modò existere debere dicimus tempore, quo nomine Papae dispensat Ordinarius, vel alius Delegatus. Aliter autem res se habet tempore moderno, quo, ut sciunt practici & docet notorius styllus, dispensationes completæ, seu in forma gratiosâ, uti vocari solent, non amplius fiunt, sed committuntur Ordinariis, ut ipsi habita sufficienti informatione & cognita precum veritate saltem tunc, quando actu dispensandum erit, re ipsa & actu dispense.

225 Hinc merito conqueritur Corrad. loc. cit. quòd DD. non distinguentes tempus, nec styllum antiquum à novo, & mandatum de dispensando confundentes cum actuali Dispensatione decipiuntur.

226 Instabis, si tempore, quo Romae expediuntur Dispensationis litterae, non existit causa dispensandi, non est credibile, quòd Papa intendat dispensare, cum, si sciret, eam non existere, profectò non dispensaret; praesertim quia fraudem oratorum deprehenderet, quam semper abhorret, & ea concurrente nunquam censetur dispensare: textu claro c. super literis. 20. de Rescript. Resp. Negando totum argumentum, vel suppositum; quia uti jam dictum est, erit Papa sciret, tempore suae expeditionis allegatam causam dispensandi non subsistere, tamen, si simul sciret, eam eventuram ante actualem Dispensationem à Delegato faciendam, & ad id reflexit oratores, indeque à fraude esse alienos, omnino concederet mandatum de dispensando teste stylo per Corrad. allegato.

Resp.

227 Resp. IV. Non requiritur, ut Dispensationis causa finalis, seu motiva verificetur, & existat, seu perdaret adhuc, quando Matrimonium contrahitur, sed sufficit, quòd tempore Dispensationis à Delegato factae extiterit; etsi post illam, & adhuc ante Matrimonium cesset, vel evanescat. Pontius de Matrim. lib. 8. cap. 22. numer. 4. Gutierrez de Matrim. 126. n. 2. Sylvester y. Dispensatio q. 11. Justis lib. 3. cap. 1. nu. 82. cum communiter aliorum contra Sanchez lib. 8. Disp. 30. n. 14. Probat conclusio partim ex conclusione praecedenti, partim ratione, videlicet, quòd post factam à Delegato executionem, seu actualem Dispensationem, gratia Dispensationis jam fit perfecta & completa in ablatione vinculi, seu impedimenti; atqui hujusmodi vinculum & impedimentum semel ablatum non amplius reviviscit. arg. c. Ex tua, de Filiis Presbyter. juncta Glossa ibidem v. irritori. & Regula 7. Juris in 6. Factum legitime retractari non debet, licet casus veniat, in quo non potuit inchoari; quam Regulam regulariter procedere, quando actus fuit perfectus & consummatus, passim fatentur DD. consequenter etiam Dispensatio semel perfecta & completa, superveniente casu non retractatur, nec impedimenti vinculum semel ablatum amplius redit.

228 Dices cum Sanchez & ei adhaerentibus; Cessante causa cessat effectus c. Cum cessante de Appell. etgo pariter cessante causa finali, & motiva, cessat privilegium, arg. c. suggestum de privilegiis, juncta Glossa ibidem: Hinc L. v. ff. de Condit. sine causa dicitur; paria esse, sive ab initio sine causa promissum est, sive ea postea defecerit, ut conditioni locus sit. Confirmatur: Actus non operatur ultra intentionem agentium. arg. c. fin. de Præb. atqui dispensans non censetur dispensasse, nisi sub hac conditione saltem tacite intellecta, dummodo causa permaneat; nam alioquin male dispensasset, si voluisset Dispensationem suam extendi ad eum casum, quo causa profus cessaret. Confirmatur ulterius, & quidem à pari; quia Dispensatio comedendi carnes in quadragesima propter specialem infirmitatem cessat, cessante postmodum illa infirmitate; ergo idem dicendum in proposito.

229 Veram respondentur; & quidem ad illam Regulam, cessante causa cessat effectus, dicitur, eam procedere, quando effectus necdum plenè perfectus, & consummatus est; secus quando est plenè perfectus & consummatus, uti in proposito; ubi per praxiam Dispensationem vinculum impedimenti Matrimonialis est penitus sublatum.

Ad textum Juris respondetur, id esse speciale in casibus illis, in quibus ea est intentio Principis, ut cessante causa cesset effectus; quod non fit in proposito, ut bene advertit Perez. Ad confirmationem negatur Minor: nam ad hoc, ut dispensans non dicatur male aut iniquè dispensare, sed potius Dispensatio censetur valida, sufficit preces seu causam Dispensationis fuisse verificatam tempore actualis Dispensationis per Ordinarium, vel alium delegatum auctoritate Papali factae. Includi verò tacite illam conditionem, dummodo causa perduret, tanquam gratis dictum negatur.

230 Ad alteram Confirmationem negatur paritas inter dispensationem carnes in quadragesima comedendi, causa infirmitatis, & inter Dispensationem super impedimento Matrimonii. Nam Dispensatio illa prior habet tractum successivum, simulque fit, & singulis diebus, quasi novam obligationem inducit, ita & Dispensatio illa multiplex est; ac proinde non mirum, quòd cessante causa infirmitatis, pro reliquis diebus cesset etiam ipse ef-

fectus. Secus fit in Dispensatione super impedimentis Matrimonii, utpote quae non habet tractum successivum, sed statim tota simul conceditur, & habet quasi effectum indivisibilem, tollendo ipsam inhabilitatem, seu impedimentum.

§. VI.

De Supplicatione pro obtinenda Dispensatione quoad forum externum in forma ordinaria super impedimentis Matrimonii, & de formulis hujusmodi supplicationum.

SUMMARIUM.

- 231 Dispensationes aliae petuntur, & conceduntur pro solo interno, aliae etiam pro externo, seu utroque foro; aliae in forma pauperum, aliae in forma ordinaria.
- 232 Pro foro externo non in eodem loco, sed diversis expediuntur: & ubi? Dotaria, Cancellaria, & Praefectura Brevium quas Dispensationes expediunt? Ibid.
- 233 Pro solo foro interno petuntur, & conceduntur in sola Paupertaria.
- 234 Quid Juris, si quis laborat duplici impedimento, publico nempe, & occulto?
- 235 Pro impetranda Dispensatione debet offerri supplicatio in scriptis.
- 236 Et quidem in lingua latina.
- 237 Verbis propriis, usitatis, claris, & sine ambiguitate, superfluitate, & quæsto ornatu.
- 238 Quoniam in supplicatione exprimi debeant?
- 239 Qualiter supplicatio formanda? remissivè.
- 240 Forma supplicationis.
- 241 Inscriptio supplicationis pro foro externo fit Papae, qui etiam, & non alius dispensat.
- 242 Praxis incipiendi supplicationem, & exprimenti Nomina oratorum.
- 243 Exprimi debet Diocesis, & quomodo?
- 244 Explicatis Nominibus oratorum, & Diocesis exprimitur dispensandi causa, & quomodo?
- 245 Praxis proponendi causam, Prærogativæ, Reservæ, aut Principis Personae.
- 246 Praxis proponendi causam ob conservationem Familiae, ne deficiat.
- 247 Praxis proponendi causam, ut bona conserventur in familia.
- 248 Modus proponendi causam, ob Excellentiam meritum.
- 249 Causa si allegatur extinctio litis, quomodo proponenda?
- 250 Gravis inimicitia pro causa quomodo proponatur?
- 251 Confirmatio, vel conservatio pacis tanquam causa qualiter proponenda?
- 252 Evitatio scandalorum tanquam causa qualiter proponatur? remissivè.
- 253 Angustia loci pro causa quomodo alleganda?
- 254 Et quomodo cum clausula Esti extra.
- 255 Defectus dotis pro causa qualiter proponatur? praesertim si orator vult augere dotem.
- 256 Quomodo proponatur, si puella omnino est indotata?
- 257 Et quomodo, si non ipse orator, sed alius dotem augere, vel indotatam dotare vult, cum conditione, ut oratori mdat?
- 258 Aetas mulieris pro causa quomodo proponenda?
- 259 Locus ad litus maris pro causa qualiter proponendus?